

**www.e-rara.ch**

**Ars metrica, sive, Ars condendorum elegantior versuum**

**Cellières, Laurent de**

**Salisburgi, 1714**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRh 69

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-26179>

Typographus lectori.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



# TYPOGRAPHUS LECTORI.

Ne vacarent pagellæ, ex P. Jac. Masenii  
Palæstra ligata adjicimus sequentia.

*Practica amplificanda elevandaque  
phrasis Poëtica demonstratio.*

**U**T practicâ facilitate ad rem in elo-  
quentia tam soluta, quàm ligata  
maximè arduam, ducaris, lubet obviâ  
te phrasi, per exempla, ad copiam simul  
atque ornatum inflexâ, præire. Sit hæc de  
trivio: *Est homo doctus.*

In hac neque verbum neque substanti-  
vum, (ut quæ non admodum multas hoc  
loco sæpe, & alibi variationes admittunt)  
expendemus: cum præcipua varietas,  
& copia ab adjuncto *doctus* petenda sit.  
Quod à Philosophis prædicatum dicitur,  
estque tanquam vestis quædam, personæ  
ornandæ, excolendæque attributa.

H

Ut igitur hoc adjunctum *doctus* extolas variando, & amplifices.

1. Resolve illud in aliud ipsi cognatum substantivum, novóque hoc Epithetó orna, ut *Doctrináque potens*, ex quibus utrumque deinde sæpius variare poteris, ut pro *doctrina* pone, arte, musis, ingenio, eruditione, eloquio, facundia, &c. sic & *potens* mutabitur, si dicas *illustris*, *nobilis*, *excultus*, *promptus*, *excellens*, *eximius*, &c. unde exsurget. *Nobilis eloquio*, vel *illustris ab arte* vel *Musarum excellens* &c.

2. Adjunge alterum in Genitivo substantivum. Ut *Doctrina studiis*. *Facundia lingua*. *Ingenii cultura*, *litterarum palestra*, vel *apex*, vel *messis eruditionis*, *sementis Phœbi*, *Camænarum delictum*, &c.

3. Hæc deinde suis iterum illustres Epithetis, & mirificè crescet orationis dignitas. Ut *doctrina*, *admiranda*, *Divina*. In quibus illa excellere supra docui, quæ vel à locis sumuntur, ut *Attica*, *Romana*, *Latia*, *Laconia*, vel à personis, ut *Maroniana*, *Tulliana* &c. Quorum  
varie-

varietatem & copiam cum phrasiologia ex iisdem nata, alibi suppeditavi. His expensis ad plenum etiam in heroicis versum, tenuissima phrasis extolli poterit, ut  
*Hunc Divina rapit Latiae facundia  
 lingua.*

4. Hæc universa per opposita tam substantivorum, quam adjectivorum exponi poterunt. Dum videlicet illa de subiecto negaveris: Ita, cum docto opponatur indoctus, vel rudis, ignarus, inscius, adeoque & ignorantia, ruditas, inscitia &c. eadem, quâ ante, variandi ratione, per opposita, licebit progredi. Ut *Nequaquam rudis est. Procul ignorantia turpis. Non hunc infantia lingua præpedit.*

5. Per tropos illustratur, extolliturque magnoperè oratio, apud Poëtas præcipuè id præstat Synecdoche. Ut *doctum caput, charum Musis caput. Musarum studiis excultum pectus. Vox ævi Divina sui.* Magis verò etiam metaphora hoc potest, quæ modò sola adjectiva ornat: ut, cui *lactea* fandi copia, *Ambrosiaque* sonant ex ore loquelæ: modò sola excolit

substantiva, ut eruditionis *lepos*, eruditorum *alpha*, princeps *primipilaris*. *Suadæ delictum*, *Musarum corculum*, *nutritius*, *alumnus*: modò (quod frequentius est) utrumque ornat, simul cum ipso verbo, altero tamen substantivorum in propria significatione relicto, ut *divite largus ab ore Eloqui profundit opes*.

6. Per fictas rerum, de quibus agimus, & præcipuè vitutum ac vitiorum, personas, quibus actionem aliquam tribuimus, aut certè circa illas instituimus. Quod rarum plerumque, atque ingeniosum est. Sic Bacchus pro vino, pro sole Phæbus, pro literis Musæ, Pallas, Sapiencia, *Suada*, aut *Pycho*, Phæbus, item ac *Mercurius*, & hinc, *plenum Pallade pectus*.

*Illum Castalia respexit ab arbore Phæbus*

(lacte  
 vel *Hunc aluit tenero nutrix sapientia*  
 vel *Insidet labris Pycho, & Rosanum liquat, atticumque rorem*.

*Affundit Apollo liquorem Pincerna vellaris meri*.

In his, ut apparet, personæ fictæ actio tribui-

tribuitur. Potest & circa illam actio personæ veræ affingi : ut *tenero qui miles in avo, Musarum sequitur vexilla, aut castra vel Phæbeis miles in armis, laurea ferta gerit.* Palam est, quantum hæc faciant ad phrasin Poëticè exornandam.

7. Ad Poëticæ locutionis varietatem, raritatemque ac dignitatem facit, Fabulas ad rem, de qua agis, exploratas habere : ut sunt in præsentī materia inprimis, quæ de Phæbo, Pallade, Musis, quæque de locis his consecratis feruntur : ut de monte Parnasso, & Helicone in Phocide regione, de Pimpla & Libethra in Thracia, Pierio & Pindo in Tessalia : tota denique regione, Aonia : tum de fontibus Castalia, & Aganippe, quorum hic in Parnasso, à Bellerophontis equi ungula sit excitatus : unde Medusæus, Caballinus, Pegaseus dictus est. Quæ cuncta vaticibus variandæ extollendæque phrasīs sunt argumentum. Unde Poëta doctus appellatur : *Biverticis incola montis. Qui toto Phocidos estuat furore, Bellerophontais ora rigavit aquis.* Palatia Phæbi,

*Musarumque domus docto patuere Ma-  
roni. Castalidum conviva frequens, cul-  
torque Minerva.*

8. Ratio quoque Syntaxis à Græcis quandoque, præsertim in Lyricis, & heroïcis, ad Latinorum usum traducta gratiam cum varietate conciliat. *Ut cupidus tractare Maronem. Diserta fari promptus tua scripta legunt Musas tractare potentis. Sectatur amena Musarum. in quo facundia magnum est. Non hic Musarum pugnat amor. Eloquii laudem potitur. Fungitur officium disertis. Turpis inscientia desinit, acceptus musis.* Hæc tamen ejusmodi sunt quæ parcè, & salis instat, cæteris condiendis admiscenda erunt. Cùm crebra apud Statium insipidam nonnunquam orationem reddant, ut supra visum est.

9. Oratio per comparationes diducitur simul, atque illustri eloquentia assurgit. Idque modò strictim: ut *Carmina scribit*

*Qualia Cecropia non dedignentur A-  
thensæ,*

vel Possidet hic Ciceronis opes , doctique  
 Maronis profluit eloquiò.

Modò etiam fusius tam in simili , quàm  
 exemplo : ut

*Qualis inexhaustâ fratris dum luce  
 coruscat*

*Noctivaga astrorum princeps , stellâs-  
 que minores*

*Despicit aetherio Phœbe radiantior igne.*

*Talis erat , docto reliquis facundior ore.*

vel -- *Olim Divinum Roma Maronem*

*Obstupuit , tenui dum carmen arundine  
 pangit ,*

*Heroumque tubâ laudes sonat amula :  
 tandem*

*Plectra rapit vates , gaudetque Marone  
 secundo* (ore.

*Posteritas , tantòque viri dependet ab  
 Roma stupens &c.*

IO. Illæ orationis figuræ , quæ ad orna-  
 tum potius , quàm affectum comparatæ  
 sunt , mirificè sermonem amplificant , si-  
 mul & extollunt. In quibus prima , &  
 maximè obvia Hyperbole.

*Hic novus Amphion facundi viribus  
 oris ,* H 4 Asto-

*Attonitum rapuit per densa pericula  
vulgus*

*Oblitum necis ac vita. Mars fulmina  
jactet,*

*Telorúmque globus flammisque minaci-  
bus obstet,*

*Eloquii vis major erit: perrumpes  
inermis*

*Armatorum aciem, superabunt ful-  
mina lingua.*

Opportunis etiam fictionibus eadem  
hyperbole ornari, excolique poterit.

--- Citharam tibi victus Apollo

*Obtulit, indulsitq; suas Cyllenius alas,*

*Es virgam, quam dextra gerit; tibi*

*Pallas olivam,*

*Ægidáque ac galeam cessit, jam nu-  
mine plenus* (male,

*Cum primâ tenere vernant lanugine,*

*Multorúmque instar meruit facundia*

*victrix* (drigâ.

*Rostra triumphali Romana tenere qua-*

*Cæterùm ornant imprimis, diducunt-  
que orationem figuræ, quæ circa descri-*

*ptionem rei per suas partes explicatæ ver-  
santur*

fantur, in quibus eminent Hypotyposi, quâ rerum forma ita oculis subicitur, ut spectari potius, quam audiri videatur; & Profopopœja, quâ vel rebus mutis, & sensu carentibus vitam, actionemque tribuimus, vel mortuos etiam ad vitam sermonemque revocamus. His Apostrophem adde, per quam sermo oratoris ad aliam rem quampiam, etiam inanimam convertitur, estque figura gravis, etiam ad affectus accomoda. Talis Apostrophe est in præsentī materia.

*Vos testes appello Lares, penitósque recessus*

*Musarum, & facili devota sacraria Phæbo,*

*Dicite (namque est vester honos) quanta Poëtam*

*Otia sollicitent, qua vis compellat amantem,*

*Palladias. Latiis curas impendere char-*

*Vos nocti creptas tenebras, longisque soporem*

*Proscriptum excubiis, latebrásque evolvite vatis,*

*Inter Apollineas lauros, & Phocidis  
 umbras*

**Sequitur in eadem descriptione hypoty-  
 posis.**

*Scilicet impensi vestigia rara laboris  
 Servastis memores, placidà nunc sede re-  
 ceptum,*

*Nunc stantem tenuère libri, profusus  
 in unum*

*Omnis sensus opus, solers industria  
 frontem*

*Contrahit, intentoque sedens vigilantia  
 vultu,*

*Et tacitis, nunquam violata silentia,  
 curis*

*Composuère virum. Sic toto pectore  
 Phoebum*

*Accipit, & blandis sua dividit otia  
 Musis.*

**Ade nunc etiam Prosopopœjam.**

*His olim puerum nutrix facundia  
 verbis*

*Alloquitur: nostris quondam celebra-  
 bere castris*

*Eloquio felix, multasque exulte per  
 artes*

*Musa-*

Musarum dilecte cliens, tu viribus  
oris

Ausonidam franges populos, multaque  
solutos

Libertate animos verborum pondere fle-  
tes &c.

Stylo grandiori, per figuras verborum  
potissimum elevato, in hac materia locus  
non est; cum hic in rebus affectui gravio-  
ri obnoxiiis tantum sit adhibendus.

*sub larva mellis ira venena*  
**FINIS.**



THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS